


LVNÆ DIE 15 M. APRILIS A. 2013

A.d. XVII Kal. Maias a. MMXIII

I 73

# M E L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## NVM LICEAT PRAVE SCRIBERE

Certe nostris temporibus in textibus Francogallice scriptis non desunt menda, non raro gravia; de aliis linguis vernaculis iudicare non valeo, sed idem accidit verisimiliter. Tamen id quod fit in linguis modernis, ferri non potest in lingua Latina, cuius emolumentum per sæcula magni æstimatum est stabilitas; oportet Latine scribere recte et dilucide.

Iam in superiore proximo Melissæ fasciculo monstravimus quo pravo modo ætate nostra nonnullæ res Latine redderentur. Huius pravitatis novum exemplum his novissimis septimanis invenimus in Francogallicis actis diurnis, quæ inscribuntur *Libération*.<sup>1</sup> Cum papa Benedictus se munere suo Latine abdicavisset, huius diarii moderatores voluerunt in paginis suis symbolam de hac re Latine scriptam divulgare. Bonum certe consilium, quamquam effectus infelix fuit.

Titulus est «Cogitatio». Primas tantum lineas hic exhibeo:

«De qua re Papa cogitat? Qui munus mirandum exsequitur sæculo nostro, quod in civitate et principatu parvulissimo vivit spiritu regnando quem Machiavellus iam sexto decimo sæculo unum solum e compluribus civitatum formis esse putabat. De qua re Papa cogitat cui vestis tam insolita et vehiculum ad eius usum fabricatum sunt ut muneribus fungi possit, qui homo Latinissimus est, idemque homo ita garruens ut recentissimarum rerum studiosus videatur? Nonne auro escario cenare solere et simul mundi miseriam humeris octogenariis portare dicitur?»

Cum in eodem diario divulgata sit originalis symbola a Nicolao Demorand Francogallice conscripta,<sup>2</sup> patet translatores<sup>3</sup> inhabiles fuisse ad sensum reddendum; neque loquamur de grammatica.

Hic translator, etsi textus Latinos legere certe scit, tamen ut plerique hodierni Latine docti neque ullam scribendi habet consuetudinem, neque audeat Latine scribere de rebus recentioribus. Quis e verbis «ita garruens» divinare potest agi de «computo Twitter»? Æstne aliqua difficultas in Latine loquendo de «Twitter»? Non est causa cur formam Latinam demus huic novitati Anglice primum vocatæ, cum in ipso sermone Francogallico forma servetur Anglica.

Cur moderatores huius diarii symbolam in Latinum vertendam non mandaverunt Latinitatis vivæ cultoribus? Verisimiliter quod nullum noverunt, non tamen certum est. Nam si recogitamus de nova linguæ Latinæ methodo *Assimil* ab Isabella Ducos-Filippi composita, scimus eam auxilium a Latinitatis vivæ cultoribus benigne oblatum recusavisse, quod non factum est sine pessimo effectum in Melissa aliquando demonstrato.<sup>4</sup>

Res omnino mira, ei qui titulo academico ornati sunt aut munere publico in institutione funguntur, etiam si mancā sermonis Latini notitiam habent, tamen a plerisque hominibus ducuntur ut veri et fidi Latinistæ; cum insuper Latinitatem vivam irridere non desinant, eius cultores a plerisque quoque videntur esse scurræ. Sic fit ut nunc permulta exemplaria novæ methodi *Assimil* vel libri *Pullus Nicolellus Latina lingua* inscripti benevolis tironibus perfacile divendantur.

Si tandem Academia Latinitati fovendæ expegefiat suumque verum scopum curabit, id est rectum linguæ Latinæ usum fovebit, oportebit recensiones recentiorum scriptorum Latinorum in propria sede interretiali divulget; cum inter eius sodales sint professores non solum academici, sed etiam Latinitatis vivæ cultores, Academiæ auctoritas recusari non poterit. ☞

Gaius LICOPPE

1. *Libération*, 11 Feb. 2013.

2. «Songe. À quoi songe un pape? Drôle de métier, au XXI<sup>e</sup> siècle. Vivre dans un micro-État, une principauté, en exerçant un pouvoir spirituel dont Machiavel considèrerait, même au XVI<sup>e</sup> siècle, qu'il restait une exception dans la galaxie des formes du pouvoir politique. À quoi songe un pape, dans ses habits si bizarres et sa voiture construite spécialement pour lui permettre d'assumer ses fonctions, parlant couramment latin mais ouvrant un compte sur Twitter pour être ridiculement de son temps? Mangeant, paraît-il, dans de la vaisselle en or (en or!) tout en portant la misère du monde sur ses épaules octogénaires?»

3. Association le Latin dans les Littératures Européennes.

4. *Melissa* 141, Dec. 2007, p. 2.

## EPISTOLÆ OBSCVRORVM VIRORVM

## (I) «TVNC PAPA FVIT IN MAGNA TRISTITIA »

– *quas legendas proponit Francisca Deraedt* –

« Acceperim nudiustertius, honorande vir, unum librum quem dominatio vestra miserit mihi ex Colonia. Et fuit vel est talis liber intitulatus ‘Epistolæ Obscurorum Virorum’. Sancte Deus, quomodo lætatus sum in corde meo, quando vidi illum librum, quia habet multa pulchra in se, metricè vel prosaicè compilata. » (*Epistolæ Obscurorum Virorum*, II, 1).

Illæ satiricæ epistolæ, sine auctore editæ annis 1515-1517, e tota Germania Romaque pleræque missæ esse finguntur «superexcellenti necnon scientificissimo viro domino Ortino Gratio Daventriensi poetæ, oratori, et philosopho, necnon theologo, et plus si vellet» (I, 1), Coloniae docenti. Ad quem ergo undique confluentium varii de variis rebus nuntii risum identidem moventes. Stilo enim mirabili, inculto, populari, sæpe triviali, germanismis pleno, et ipso monachalem Latinitatem imitante, sine misericordia irridentur non solum illius temporis mores monastici, sed etiam, imprimis, scholastici humanistis oppositi. Iohannes Reuchlin sive Capnio (1455-1522), de quo multum agitur in his epistolis, theologus linguæ Hebraicæ maxime peritus, ob cabbalæ defensionem iram suscitaverat Coloniensium dominicanorum; ei ergo, qui anno 1514 *Epistolæ Clarorum Virorum*, id est humanistarum, divulgandas curaverat, commodum succurrunt hæ Obscurorum Epistolæ, quarum paternitas hodie tribuitur Ulricho von Hutten, Iohanni Croto nonnullisque aliis.

«Salutem plurimam cum magna reverentia erga vestram dignitatem, sicut debeo scribens ad vestram magistratitatem» (I, 6): quod non putaveris, non omnino eadem est res, Latinitas macaronica et Latinitas culinaria. Quid? inquires, maccarones in culina non versari? Sit ita; distinguendum tamen est.

Macaronica Latinitas in Italia quinto decimo sæculo creata est ad carmina conscribenda, auctore nisi fallor Theophilo Folengo sive Merlino Coccaio (1491-1544). Exemplum, quod hic proponitur, aliquid tibi, bone lector, in memoriam procul dubio revocabit:

Tu solus, Bigoline, iacens stravacatus in umbra,  
castroni similis teneras cum masticat herbas,  
quas fantasias animo subvolvis adessum?  
Nonne soles faciem mihi promere semper aegram?<sup>1</sup>

In hoc scribendi genere casus oportet diligenter respicere. Quæ regula non imponitur culinariæ Latinitati, quippe quæ usum et normas academicas fastidiat. In ea etiam vocabula vernacula adhibentur non aptata, ut patet hac notissima scæna, qua baccalaureus in medicorum ordinem modo tam ridiculo quam sollemni accipitur:

DOCTOR  
Mais, si maladie  
Opiniatria  
Non vult se guarire,  
Quid illi facere?  
BACHELIERUS  
Clysterium donare,  
Postea seignare,  
Ensuita purgare,  
Reseignare, repurgare, et reclysterizare.  
CHORUS  
Bene, bene, bene, bene respondere:  
Dignus, dignus est entrare  
In nostro docto corpore.  
PRÆSES  
Juras gardare statuta  
Per Facultatem præscripta,  
Cum sensu et jugeamento?  
BACHELIERUS  
Juro.  
PRÆSES  
Essere, in omnibus  
Consultationibus  
Ancieni aviso,  
Aut bono,  
Aut mauvaiso?  
BACHELIERUS  
Juro.  
PRÆSES  
De non jamais te servire  
De remediis aucunis  
Quam de ceux seulement doctæ Facultatis;  
Maladus dust-il crevare  
Et mori de suo malo?  
BACHELIERUS  
Juro.<sup>2</sup>

Legamus ergo, delectationis causa certe sed etiam non sine fructu, hæc humanistica culinaria quæ, præter derisionem controversiamque theologicam, nos etiam multa docent de moribus academicis, de studentium conditione, de cleri consuetudinibus, de vita cottidiana, de mirabilibus quibusdam necnon de arte amandi.

Omnis epistula incohatur salutando. In hac re certamen videtur fieri, quis plurimas mittat salutationes: tot enim mittuntur «quot habet cælum stellas et mare arenas» (I, 11), aut minus poetice «quot in uno anno nascuntur culices et pulices» (I, 39), aut satis mirabiliter «quot in mari sunt guttæ, et quot in Colonia sancta beguttæ» (I, 31), aut «salutem maximam et multas bonas noctes sicut sunt stellæ in cælo et pisces in

¶ M. IOHANNES PILEATORIS  
M. Ortino Gratia

Et	{	S	ALUTES vobis plures	Et	{	M	eretrices in Bam-
		Quam sunt in Polonia	berga,				
		fures,	artifices in Nurm-			berga,	in Praga Iudaei,
		in Bohemia haeretici,	in Colonia Pharisaei.			Clerici in Herbipoli,	naves in Neapoli,
		in terra Suitensium rustici,	Busto ducis acuffices,			Franckfordiae pelli-	fices,
		in Italia Scorpiones,					
		in Hispania Ienones,					
		in Ungaria pediculi,					
		in Parrisia articuli,					

Et	{	in Saxonia potatores,	Et	{	nobiles in Franconia,
		in Venetia Mercatores,			nautae in Selandia.
		Romae Curtisani,			Sodamitici Florentiae,
		in Almania Cappellani.			ex ordine praedica-
		in Frisia Caballi,			torum indulgentiae,
		in terra Franciae vasalli,			textores Augustae.
		pisces in Marchia,			per Estatem locustae,
		sues in Pomerania,			Columbae in Wet-
		oves in terra Angliae,			trania,
		boves in regno daciae,			caules in Bavaria,
					alleges in Flandria,
					sacci in Turingia

mari» (I, 5), quin tot etiam, ut totam rem exscribere tædeat, atque ergo potius libri<sup>3</sup> imaginem tibi hic supra afferam (II, 16); sed etiam, celerius dictum, «salutem innumerabilem» (I, 7) venerabili magistro dant alumni et theologi. Quem postea necessario laudant, modo nonnumquam inexpectato:

«Salutem sesquipedalem. Venerabilis magister, sciat quod accepi litteram vestram valde poeticaliter scriptam, sicut est Consuetudo vestra. Et scripsistis: 'Datum in Colonia, quando habuimus bona convivia: et viximus in hilaritate, et non curavimus de gravitate.'

Et sic consideravi quod fuistis bene vinificatus, id est vino repletus, dicendo poeticaliter. Et credo quod fuistis ebrius quando scripsistis illud dictamen.» (II, 9)

Postea sæpe poni solent nonnulla verba, quibus auctor sive veniam petit quod non scribit sæpius, sive contra lamentatur se crebriores epistulas non accipere:

«Valde miror, venerabilis vir, quare mihi non scribitis, et tamen scribitis aliis qui non scribunt vobis ita sæpe sicut ego scribo vobis. Si estis inimicus meus quod non vultis mihi amplius scribere, tunc scribatis mihi tamen quare non vultis mihi amplius scribere, ut sciam quare mihi non scribitis, cum ego semper scribo vobis, sicut etiam nunc scribo vobis, quamvis scio quod non eritis mihi rescribere. Verum tamen oro vos præcordialiter quod velitis mihi tamen scribere, et quando semel scripsistis mihi, tunc ego volo vobis decies scribere, quia libenter scribo amicis meis, et volo me exercitare in scribendo, ita quod possum elegantè dictamina et epistolas scribere.» (I, 15)

Optimum quidem illi viro propositum. Ii autem, qui se de litteris rarius datis excusare volunt, varias proferunt excusationes. Unus Horatium affert et calores:

«Reverentialem obedientiam loco Salutis. Venerabilis domine Magister. Rogo vos Cordialiter quatenus velitis mihi indulgere, quod non scribo vobis sæpe, quia est per Deum ita magnus Calor in Roma, quod unus non potest ire in plateis vel sedere in domo: Et non possum scribere aliquid vel componere præ Calore. Sed vos scitis quod est magnus labor face-

re dictaminas, et dixistis mihi in Colonia, quod in septem diebus vix facitis unum bonum dictamen. Et alle-gastis mihi Horatium dicens, quod talis poeta docet quod novem annos debemus consumere faciendo unum bonum dictamen. Et credo quod sic est faciendum. Quia oportet esse cautum et videre quod est bona congruitas. Et aliquando non est satis quod est bona congruitas: quia requiritur etiam Ornatus secundum viginti præcepta Elegantiarum<sup>4</sup> et Modum epistolandi Pontii vel Pauli Niavis qui fuit magister Lipsensis. Etiam isti poetæ sunt nunc valde reprehensivi, et quando aliquis scribit aliquid, tunc dicunt: 'Ecce ibi et ibi non est bona latinisatio': et veniunt huc cum suis novis terminis et confundunt antiquam grammaticam. Ergo non possum scribere in istis Caloribus. Ergo habeatis me excusatum. Et Valetè. Datum Romæ.»

Alius valetudinem causatur haud prosperam; quare satis aperte explicata, etiam medicam illius temporis scientiam suo pretio aestimare possumus et ponderare:

«Sed habeo rationabiles causas, quod non direxi litteras ad Dominationem vestram. Quia pro magna parte fui infirmus, et nescio quid fuit mihi. Medicus dicit quod habeo aliquid in stomacho et non scio bene digerere. Etiam nudiustertius sumpsi unam purgationem. Et salva reverentia coram dominatione vestra, ego merdavi unam merdam ita tenuem, quod aliquis posset sorbere cum cocleari. Et cum hoc exivit de me una petia<sup>5</sup> alba bene ita magna sicut pimum. Et dixit Medicus: 'illa est materia indigesta et causat febrem.' Sed pro nunc scio iterum bene comedere, quia habeo bonum appetitum, laudetur Deus. Et si maneo sanus, tunc semper volo scribere vobis.» (II, 8)

Tertius quidam magno candore profitetur sibi alia esse agenda. Auctor huius epistolæ, Iohannes Kalp, cuius nomen vitulinum fortasse prænuntiat litterarum argumentum, nobis iucundissimam præbet lectionem. Quam facere non possum, bone lector, quin tibi proponam integram eo ipso tempore, quo in orbe nostro, novo papa nuper electo, de papatu multum agitur.

«Salutem amicabilem. Honorabilis domine, Venerabilis magister, Sciat quod miror valde, quomodo sic potestis me tribulare scribendo mihi semper

‘Scribatis mihi tamen aliquid novi.’ Et semper vultis scire novalia, cum tamen ego habeo alia ad agendum. Et ergo non possum multum curare de novitatibus, quia oportet me currere hincinde et sollicitare, si non volo perdere sententiam et venire de beneficio illo. Sed tamen si vultis esse contentus, tunc semel volo scribere vobis, ita quod postea permittatis me in pace cum novitatibus. Vos bene audivistis qualiter papa habuit unum magnum animal quod vocatum fuit Elephas. Et habuit ipsum in magno honore, et valde amavit illud. Nunc igitur debetis scire quod tale animal est mortuum. Et quando fuit infirmum, tunc Papa fuit in magna tristitia. Et vocavit medicos plures, et dixit eis: ‘Si est possibile, sanate mihi Elephas.’ Tunc fecerunt magnam diligentiam et viderunt ei urinam, et dederunt ei unam purgationem quæ constat quinque centum aureos: sed tamen non potuerunt Elephas facere merdare: et sic est mortuum. Et papa dolet multum super Elephas. Et dicunt quod daret mille ducatos pro Elephas. Quia fuit mirabile animal habens longum rostrum in magna quantitate. Et quando vidit Papam, tunc genuclavit ei et dixit cum terribili voce ‘bar, bar, bar.’ Et credo quod non est simile animal in mundo. Dicunt quod rex Franciæ et rex Karolus fecerunt pacem<sup>6</sup> ad multos annos et iuraverunt invicem. Sed videtur aliquibus quod talis pax est cautelosa, et non durabit diu. Ego nescio quomodo est. Etiam non multum curo. Quia quando venio iterum ad Almaniam, tunc ibo ad pastoriæ meam et habeo bonos dies. Quia habeo ibi multas aucas et gallinas et annetas, et possum habere in domo mea quinque vel sex vaccas, quæ dabunt mihi lac quod facio caseos et butirum. Quia volo habere cocam quæ facit mihi talia. Et debet esse antiqua. Quia si esset iuvenis, tunc faceret mihi tentationes carnis, ita quod possem peccare. Ipsa etiam debet mihi nere, quia emam ei linum. Et volo habere duos vel tres porcos et volo eos impinguare quod faciunt mihi bonum lardum. Quia ante omnia volo in domo mea habere bona coqualia. Etiam volo semel mactare unum taurum, et dimidium volo vendere rusticis, et dimidium volo suspendere in fumo. Et retro domum habeo hortum, ubi volo seminare allium, cepes, petrosilium, et volo habere olera et rapas et alia. Et ego volo in hieme sedere in stuf<sup>7</sup> mea et studere quod possim rusticis prædicare in sermonibus Parati vel Discipuli,<sup>8</sup> vel etiam in Biblia, ita quod ero habituatus ad predicandum. Et in ætate volo ire piscatum vel laborare in horto. Et non volo curare de bellis, quia volo esse pro me, et dicere orationes meas et legere missas, et non curare ista mundana negocia quæ afferunt perditionem animæ. Valete. Datum Romanæ Curia. »

Saltem laudare licebit eius sinceritatem! Sic videmus quod fuerit illo tempore sacerdotis studium præcipuum: domum habere commodam, cibum amplum, coquam potissimum foedam et vetulam sed optimam, prædicationes ita præparatas ut tempus suppeditet piscandi. Huiusmodi litteras legentes non possumus non recordari de Erasmi colloquio *Abbatis et eruditæ*.

Elephas, de quo in hac epistula agitur, anno 1514 papæ Leoni X dono datus est a Portugaliæ rege Manuele I. Huiusmodi dona diplomatica rara non erant: iam anno 802 Carolus Magnus elephantem acceperat a califa Bagdatensi. Hæc autem misera bestia Olisipone Romam transportata est itinere maxime incommodo, magnis turbis eius spectaculo ubique suscitatis. Ad Vaticanum tandem allatus, elephas, qui educatus erat et cum hominibus libenter solebat ludere, statim fit papæ carissimus; ei nomen datur Hanno; festive tractatur. Ceterum Leo X animalia exotica iam antea colebat, qui, sicut pater Laurentius Mediceus Florentiæ etiam fecerat, in ipso Vaticano parvum instruxerat hortum zoologicum. Hanno mox omnia Vaticanæ aulæ festa, quæ illo tempore erant plurima necnon magnifica, participat. Cum anno 1516 morbo afficitur, medici eum curant ut possunt: laxativum ei præbent, ut mos erat, auro addito, cuius copiam pro animalis pondere augent et augent usque dum bestia suffocatur. ☪

(continuabitur)

- 
1. Teofilo Folengo, *Macaronee minori. Zanitonella. Moscheide. Epigrammi*, a cura di Massimo Zaggia, Torino, Giulio Einaudi editore, 1987, p. 11: «Egloga macaronica».
  2. Molière, *Le malade imaginaire*, acte III, troisième intermède.
  3. *Epistolæ obscurorum virorum: the Latin text with an English rendering, notes, and an historical introduction* by Francis Griffin Stokes, London, Chatto & Windus, 1909.
  4. Auctore Ægidio von Sūchteln, XV sæc.
  5. Petia: frustum; etiam significat nummum (Fr. *pièce*). A. Blaise, *Lexicon Latinitatis Medii Ævi*, Turnhout, Brepols, 1975, p. 683.
  6. *Fœdus pactum inter Franciscum I et Carolum V, Novioduni (Noyon)*, 13 Aug. 1516.
  7. Stuf<sup>7</sup>: conclave. Theod. *Stube*.
  8. Opera illo tempora notissima: *Sermones parati de tempore et sanctis et Sermones discipuli de tempore et de sanctis*, sic vocati quod erant simplices, a Iohanne Herolt, dominicano, conscripti.

# DE IMMENSO CÆLO (V)

## (1604-1642: GALILEVS GALILEVS)

– scripsit Gaius Licoppe –

**G**alileus Galileus (1564-1642), Italus mathematicus, physicus et astronomus, clarissimus factus est non solum quia initium fecit astronomiæ opticiæ et fundamenta scientiarum mechanicarum posuit, sed præsertim quia gravissimam litem habuit cum hierarchia catholica de libertate cogitandi in scientiis naturalibus. In hac symbola omittentur pleraque eius opera scientifica, quæ non spectent ad astronomiam.

Eius familia Florentina erat parvæ nobilitatis ac Pisis vitam commercio sustinebat. Postquam Florentiam migraverunt, Galileus puer educatus est in monasterio Sanctæ Mariæ de Vallombrosa, ubi incitabatur ut novicius fieret. Quod nolens potius in Pisana universitate medicinæ studuit; mox tamen comperit hanc disciplinam sibi non placere.

Cum undeviginti annos natus esset, mathematicam eum docuit amicus quidam familiæ. Aristotelis imperium ei displicebat; contra valde admirabatur Euclidem. Iam tunc respuebat theoriam geocentrismi.

Florentiam rediit sine diplomate; abhinc in nonnullas investigationes de isochronia penduli, de centro gravitatis et de Archimedis libra hydrostatica incubuit.

Anno 1588 tam bonam famam iam habebat, ut ab Academia Florentina invitaretur ad duas lectiones faciendas de forma, loco et dimensione Inferni Dantis.

Eodem anno Romam iit, ubi in Collegio Pontificio inter alios convenit Iesuitam Christophorum Clavium, clarum mathematicum et præcipuum auctorem calendarii Gregoriani.

Anno 1589 Magnus Dux Tusciciæ ei tribuit mathematicæ cathedram in Pisana universitate... salario minimo. Quod molestius factum est, cum ab anno 1591, patre mortuo, totius familiæ vitam sustinere deberet.

Quare anno 1592 Patavium petivit, ubi 18 annos in universitate versatus est. Maiore libertate scribendi fruebatur, cum Patavium esset in finibus Rei Publicæ Venetæ, Inquisitioni minus obsequentis. Docebat mathematicam, astronomiam et architecturam militarem ac publice profitebatur systema Ptolemæi, quamquam iam diu ipse imbutus erat systemate Copernici.

Anno 1599 officinam domi suæ creavit, in qua conficerentur et venderentur instrumenta scientifica a se excogitata.

Anno 1604 in cælo apparuit stella nova, «supernova» ut aiunt hodierni astronomi, quam observavit et de qua postero anno divulgavit, una cum Girolamo Spinelli, *Dialogo de Cecco di Ronchitti in Perpuosito della Stella Nova*. Obiter animadvertamus ineunte septimo decimo sæculo opera scientifica iam non omnia Latine conscribi.

Anno 1609 ex epistula Francogalli Iacobi Badovere,

unius e suis prioribus discipulis, comperit novum genus perspicilli, quo longinqua corpora apparent propiora, a Batavo optico Iohanne Lippershey ante unum annum confectum esse.


Ex hac sola descriptione ipse confecit perspicillum astronomicum melius quam Batavicum, quia imagines ter magis dilatabat easque rectas præbebat (in Batavico enim erant inversæ).

Eodem anno, secundo perspicillo confecto, quod amplius octies imagines dilatabat, adiit Senatum Venetiarum et de summo campanili demonstravit, quid monstrare valeret hoc instrumentum. Senatores enthusiasmo capti sunt; advenientes enim naves multo longius adspicere poterant. Galileus eis instrumentum dono dedit atque iura conficiendi legavit; pro quo merito munus in universitate Patavina ei confirmatum est ad vitam, cum duplici salario.

Notandum est qualitatem perspicillorum, quæ brevi «telescopia» vocata sunt, non fuisse constantem; re vera ex amplius 60 fabricatis pauca fuerunt utilia, nam Galileus eas modo empirico conficiebat, cum non haberet theoriam opticam, qua lentum operandi modum intellegere posset. Hanc theoriam constituit Keplerus, qui eam anno 1611 divulgavit in opere mathematico c.t. *Dioptricæ*.

Galileus telescopio detexit montes in Luna, maculas in Sole ac comperit Lacteam Orbem (sive Viam Lacteam) constare ex innumerabilibus sideribus. Maximi momenti inventio facta est anno 1610, cum detexit quattuor Iovis satellites; sic enim demonstrabatur in cælo esse corpora, quæ circum Terram non agebantur; inanitas Aristotelis sphaerarum crystallinarum sic demonstrabatur. Iuppiter cum satellitibus Galileo factus est exemplum systematis solaris, ubi planetæ et Terra circum Solem moventur.

Eodem anno de hoc invento Venetiis edidit librum, cui longum titulum dedit: *Sidereus Nuncius, magna, longeque admirabilia spectacula pandens, suspiciendaque proponens unicuique, præsertim vero philosophis atque astronomis, quæ a Galileo Galileo, Patrio Florentino Patavini Gymnasii Publico Mathematico Perspicilli nuper a se reperti beneficio sunt observata in Lunæ facie, fixis innumeris, Lacteo Circulo, stellis nebulosis, apprimè vero in quattuor planetis circa Iovis stellam disparibus intervallis atque periodis, celeritate mirabili circumvolutis; quos, nemini in hanc usque diem cognitos, novissime Auctor deprehendit primus atque Medicea Sidera nuncupandos decrevit*. Nomen Medicea Sidera dedit in honorem Cosmæ II Medicei, qui suus fuit discipulus et cui librum dicavit. Post hanc nuncupationem inquisitores scripserunt se nihil, quod contra Sanctam Fidem



Catholicam esset neque contra Principem et bonos mores, invenisse licentiamque dare edendi.

Antea iam dictum est Keplerum, lecto libro, ad Galileum epistolam laudatoriam misisse, c.t. *Dissertatio cum Nuncio Sidereo*; in qua interrogabat de effectu huius inventi in astrologia. Galileus autem re vera Keplero diffidebat, quem habebat astrologiæ nimis imbutum Sacræque Scripturæ obsequentem.

Exeunte anno 1610 Galileus Rem Publicam Venetiarum reliquit Florentiamque petivit, monitiones amicorum prætermittens, qui timebant ne extra Venetias libertatem perderet scribendi. Eius enim prior discipulus, qui ab anno 1609 factus erat Cosmas II Magnus Dux Tusciæ, eum invitaverat, qui fieret Primus Mathematicus Universitatis Patavinæ et Primus Mathematicus Primusque Philosophus Magni Ducis Tusciæ.

Cælum telescopio investigare perrexit; invenit «aures» Saturni (semisæculo post comperietur has aures re vera esse anulos). Repperit quoque phases Veneris, quæ facilius explicantur systemate Copernici, quam Ptolemæi.

Tanta facta erat Galilei fama, ut a cardinale Barberini (futuro papa Urbano VIII) invitaretur ut inventa Romæ in Collegio Pontificio exponeret; inter auditores erat Iesuita Christophorus Clavius, qui declaravit Galilei observationes rectas esse, non tamen confirmare eius conclusiones de heliocentrismo.

Inter hanc Romanam mansionem factus est sextus sodalis recentis Academiæ Lynceorum.

Abhinc aliquid mutatum est; fautores enim geocentrismi facti sunt acerbi pertinacesque Galilei hostes ac magnam potestatem habebant. Aliter ac eum cogitabant; Galilei scripta nitebantur observationibus et experimentis; contra, ei solum confidebant theoriis auctoritate Aristotelis confirmatis. Cum Galilei observationes a Collegio Pontificio acceptæ essent, eum invecti sunt in campo religioso: volebatne iste Sancta Biblia prætermittere? Nonne in Psalmo 93 legitur «Etenim firmavit (Deus) orbem terræ, qui non commovebitur» et apud Iosue (10,12-13) «Tunc locutus est Iosue... dixitque coram Israel: 'Sol, in Gabaon ne movearis, et luna, in valle Aialon.' Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis»? Quibus Galileus respondebat de phænomenis physicis Sacræ Scripturæ non esse decernendum.

Anno 1615 controversia tam vehemens facta est, ut Inquisitor cardinalis Robertus Bellarminus se immisce- ret; Iesuita doctus et intellegens, Galilei conclusionibus assentiebatur, sed, cum re vera nulla exstaret certa demonstratio veritatis systematis Copernici (neque allata est ante 1728), decrevit dedecere eam habere ut veritatem scientificam; licebat tamem eam docere ut hypothesin.

Conturbatus Galileus Romam accurrit, at iam sero, cum Sanctum Officium de re inquirere iam cœpisset. Auditus Galileus controversiam transigere noluit: geocentrismum et heliocentrismum æque valere non concessit. Hac in re Galileus videtur obstinatus fuisse, sed eius positio mentis ad maiorem scopum tendebat: pugnabat enim ut astronomia iam non submitteretur traditæ Aristotelis philosophiæ, quam theologia catholica sibi assumpserat.

Inquisitor Bellarminus iam Iordanum Bruno hæresiæ insimulaverat et anno 1600 ad rogum damnaverat, quod sibi vindicabat libertatem cogitandi inter alia de structura Universi. Anno 1616 Bellarminus et papa Paulus V comprobaverunt sententiam Sancti Officii: theoria heliocentrismi condemnabatur; Galileo tantum licebat eam docere ut hypothesin.

Anno 1618 apparuerunt tres cometæ, quo phænomeno renovata est disputatio de incorruptibilitate cæli.

Anno 1619 Iesuita Horatius Grassi Galileum scripto insidiosè oppugnavit in campo religioso. Qui, incitatus ab amico cardinale Barberini et Academia Lynceorum, ironice respondit opere c.t. *Il Saggiatore*, quod tamen non divulgatum est antequam Barberini anno 1623 electus est papa Urbanus VIII. Quo opere Galileus factus est propugnator circulorum Romanorum, qui contra normam intellectualem et scientificam a Iesuitis impostam decertabant. Profitebatur philosophiam scriptam esse in vasto libro, qui ante oculos nostros pateret, Universo scilicet; eum autem librum intellegi non posse, nisi primum disceremus eius linguam et signa; scriptum enim esse lingua mathematica atque eius signa esse triangulum, circulum ceterasque figuras geometricas, sine quibus fieri non posset ut quicquam intellegeretur.

Papa Urbanus VIII cogitabat de aliquo libro edendo, quo ex bono et æquo compararentur duo systemata, geocentrismus et heliocentrismus; Galileo mandavit, ut hunc librum conscriberet. Itaque *Dialogo sopra e due massimi sistemi del mondo* Florentiæ editus est anno 1632, spondentibus papa et magno duce Tusciæ. Inde ortum est magnum scandalum; Galileus enim non ex æquo tractaverat duo systemata, ac systema Ptolemæi deriserat. Hoc ipsi amico papæ displicuit, qui



eum iam non tuitus est. Iterum convocatus a Sancto Officio, reprehensus est, quod vetitum non respexisset.

Ægrotans Romam ante annum 1633 petere non potuit; ibi diu interrogatus est et, papæ iussu, iudices eum cruciatu minati sunt. Galileus concedere coactus, longæ formulæ a Sancto Officio paratæ subscripsit, quam infra legere poteritis. Solum in Francogallia hæc Sancti Officii decreta non sunt publicata.

Non ante medium duodevicesimum sæculum Ecclesia censuram sustulit de Galilei operibus. Vicesimo demum sæculo inter concilium Vaticanum II eadem theologorum errores agnovit. Anno autem 2008 professores studentesque Romanæ universitatis La Sapienza papam Benedictum XVI increpauerunt, quod

anno 1990, cum adhuc esset cardinalis Iosephus Ratzinger, autumavisset Ecclesiæ sententiam magis rationabilem fuisse, quam eam Galilei.

Galileus damnatus est ad inclusionem perpetuam. Non in carcere detentus est, sed primum apud archiepiscopum Senensem, postea domi. Nonnulla scripta adhuc edidit et, quamquam ab anno 1638 cæcus factus est, usque ad mortem perrexit cum discipulis operam dare variis scientiis. ☞

ERRATUM: in *Melissæ* fasc. 172, p. 8, col. sinistra, l. 4 ante finem, legendum est: undevicesimum.

## ABIVRATIO GALILEI

Ego Galileus Galilei, filius quondam Vincentii Galilei, Florentinus, ætatis meæ annorum 70, constitutus personaliter in iudicio, et genuflexus coram vobis Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus universæ Christianæ Reipublicæ contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, habens ante oculos meos sacrosancta Euangelia, quæ tango propriis manibus, iuro me semper credidisse, et nunc credere, et Deo adiuvante in posterum crediturum omne id, quod tenet, prædicat et docet Sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia. Sed quia ab hoc Sancto Officio, eo quod postquam mihi cum præcepto fuerat ab eodem iuridice iniunctum, ut omnino desererem falsam opinionem, quæ tenet Solem esse centrum nec moveri, nec possem tenere, defendere aut docere quovis modo vel scripto prædictam falsam doctrinam, et postquam mihi notificatum fuerat prædictam doctrinam repugnantem esse Sacræ Scripturæ, scripsi et typis mandavi librum, in quo eandem doctrinam iam damnatam tracto, et adduco rationes cum magna efficacia in favorem ipsius, non afferendo ullam solutionem, idcirco iudicatus sum vehementer suspectus de hæresi, videlicet, quod tenuerim et crediderim Solem esse centrum Mundi, et immobilem, et Terram non esse centrum, ac moveri.

Idcirco volens ego eximere a mentibus Eminentiarum Vestrarum et cuiuscumque Christiani Catholici vehementem hanc suspicionem adversum me iure conceptam, corde sincero et fide non ficta abiuro,

maledico et detestor supradictos errores et hæreses, et generaliter quemcumque alium errorem, et sectam contrariam supradictæ Sanctæ Ecclesiæ, et iuro me in posterum numquam amplius dicturum aut asserturum voce aut scripto quidquam, propter quod possit haberi de me similis suspicio; sed si cognovero aliquem hæreticum aut suspectum de hæresi, denuntiaturum illum huic Sancto Officio, aut Inquisitori, et Ordinario loci, in quo fuero. Iuro insuper ac promitto me impleturum et observaturum integre omnes pœnitentias, quæ mihi impositæ sunt aut imponentur ab hoc Sancto Officio. Quod si contingat me aliquibus ex dictis meis promissionibus, protestationibus et iuramentis (quod Deus avertat) contraire, subicio me omnibus pœnis ac suppliciis, quæ a Sacris Canonibus et aliis Constitutionibus generalibus et particularibus contra huiusmodi delinquentes statuta et promulgata fuerunt. Sic me Deus adiuvet, et Sancta ipsius Euangelia, quæ tango propriis manibus.

Ego Galileus Galilei supradictus abiuravi, iuravi, promisi, et me obligavi ut supra, et in horum fidem mea propria manu subscripsi præsentem chirographo meæ abiurationis, et recitavi de verbo ad verbum. Romæ in Conventu Minervæ, hac die 22 Iunii anni 1633.

Ego Galileus Galilei abiuravi ut supra manu propria.



# DE BELLO SACRO

## FREDERICI II DE HOHENSTAVFEN

– scripsit Mariola Dapsens –

**A** tempore quo religio Mahometi instituta est, septimo scilicet sæculo, multæ controversiæ et bella inter huius fideles et Christianos orta sunt, qua religione plerique tunc in tota fere Europa imbuebantur. *Bella Sacra* Media Ætate præsertim exarsisse constat. Multi principes, imperatores necnon pontifices talia bella in Arabes susceperunt, militibus multis conscriptis, ut Terram Sanctam, Hierosolymam et Christi sepulchrum reciperent, quæ a septimo sæculo Arabica facta erant. Quod *Belli Sacri* propositum ortum est etiam ex terrore cum Arabum tum Mongolorum, Europæ limitibus tunc imminentiis.

Sæculo decimo tertio, imperator *Fredericus alter de Hohenstaufen* tale inceptum iniit, non tamen eodem modo quo sui maiores; *Fredericus* enim *Aenobarbus* (italice *Barbarossa*), eius avus, Francogallorum rege Philippo II° Augusto, et Ricardo Cordis Leonis, rege Britannico, comitantibus tunc Terram Sanctam recipere conatus erat; at propter militum disciplinam non satis strictam, res non feliciter profecit.<sup>1</sup> Eius nepos Hierosolymam non armis, verum «diplomatica» ratione, id est legatorum arte, recipere in mente habuit. Ante id bellum, multis de causis – quas infra ordine explanabimus – *Fredericus* a pontifice Gregorio IX° excommunicatus est; ceterum egregia commercia tam politica et diplomatica quam ad cultum et scientias attinentia cum Arabibus Orientalibus et cum Ægypto præposito al-Malik al-Kamil servabat. His rebus peractis, de *Frederico* controversia inter Christianos præsertim exorta est, inter quos non defuerunt qui *Antechristum* eum vocarent,<sup>2</sup> dicentes eum Arabibus favisse, postpositis et suo imperio et ipsa Ecclesia.<sup>3</sup> Quid tandem?

Ad hæc inquirenda, opus est opera et chronica inspicere, tam scriptorum Arabum<sup>4</sup> quam Occidentalium, et præsertim Ecclesiæ;<sup>5</sup> extant etiam opera de ipso imperatore *Frederico*.<sup>6</sup> Primum conabimur vitam *Frederici* adumbrare, Bellum eius Sanctum tractare, denique mentem eius et præpositi al-Malik al-Kamil penitius intelligere.

### DE VITA FREDERICI

Anno D. 1149 non procul ab Ancona natus est, at vix quarto suæ ætatis anno parentum orbatus. Quamquam *Imperator* iam creatus erat, a tutoribus derelictus est, et per decem annos Panormi quasi vagatus.

Sicilia, quæ fuit in ditione Byzantina inter sextum nonumque sæculum, Fatimidi, Arabum genus, anno 830 potiti sunt. Byzantini anno 869 insulam recuperare frustra tentarunt; ab illo tempore multi Arabes illuc Lares mutarunt donec Normanni reges eam inter

annum 1060 et 1090 suæ ditioni subiecerunt. Cui quamquam duces Europæi præerant, quamvis historia et commercium multiculturalis esset, tamen cultus civilis Arabicus, populi fides moresque Mohametani prævalebant; insuper præpositus Christianus more Orientali, in aula sumptuosa, cum «harem» illic vitam agere dicebatur, ac quiete cum Arabibus vivere.<sup>7</sup> *Guillelmo* II° autem mortuo, commercia inter principes et populum peiora gradatim facta sunt, et Arabes ab anno 1190 rebelliones seditionesque moverunt.<sup>8</sup> Tamen artes, scientiæ, litteræ, cultus civilis florebant, a decimo sæculo, principum Abassidorum gratia,<sup>9</sup> ut fusius et melius explanavit *Gaius Licope* in sua symbola c. t. *De Immenso Cælo* (III).<sup>10</sup> Ibi puer *Fredericus* educatus et eruditus est: nam Imperator, cum a Christianis relictus esset, a Mohametanis receptus est, qui eius miserti linguam suam, dein scientias, logicam, litteras, astrologiam, geographiam, res mathematicas, docuerunt. Quibus omnibus, Arabes Europæos plurimum superabant, cum, inter alia, operibus antiquis acceptis et in Arabicum versis studuissent.

*Fredericus*, ad has res pronissimus, maximi ingenii et egregia maturitate fuit; in rebus politicis quoque maximam ambitionem et auctoritatem a primis annis ostendit. Eum imperii potestatisque suæ maxime conscius fuisse fertur, cum vix annos quattuor natus inter sacra imperator coronaretur renuntiareturque.<sup>11</sup> Tum demum, decimo quarto ætatis anno, ipso die quo sui iuris factus est, tutoribus tandem dimissis, regnum ipse in suis manibus suscepit.

*Fredericus* alia occasione etiam amicitiam erga Arabes, iam illo tempore, ostendit: rebellionem enim anno 1220 ob novam legem Capuanam repressa, Mahometanis ideo debilitatis oppidum curavit ædificandum in Italia Meridionali, – cui nomen *Lucernæ* dedit – quo migrare possent, ne proprium cultum traditionesque amitterent.<sup>12</sup> Quod si minimi momenti videtur, tamen dilectionem imperatoris erga hunc populum patefacit.

Paucis annis post, imperium eius constabat e Sancto Imperio Romano Germano, e Sicilia et ex Italia media, a parentibus tradita. Vxorem duxerat Constantiam, regis Aragonis sororem – quæ paulo post vita defuncta est –; auxilium Philippo Augusto tulerat in pugna apud Bovinem, adversus Ottonem IV<sup>um</sup> commissa.<sup>13</sup> Tunc pontifex *Innocentius* III<sup>us</sup> eum anno 1216 hortatus est ut Bellum Sacrum susciperet, at eodem anno defunctus est; ei succedit *Honorius* III<sup>us</sup>, qui item bellum sacrum expoposcit, etsi moram identidem patiebatur, usque ad mortem, anno 1226.<sup>14</sup> Successor eius, *Gregorius* IX<sup>us</sup>, magis magisque imperatorem minis

oppressit; at Fredericus, vix sollicitus, rem sibi nullius momenti identidem differebat, donec, ad bellum sacrum tandem aliquando anno 1227 profectus est;<sup>15</sup> prius Yolandam de Brienne, hæredem terræ Hierosolymæ, uxorem duxerat, ut futurum imperium sibi quasi lege iam imponeret, filio quem ei dederat adhibito, Conrado. Prius etiam Fredericus cum al-Malik al-Kamil collocutus erat, qui se Hierosolymam, Bethleem, Nazareth et aliquos vicos eis proximos rediturum ea condicione pollicitus erat, ut imperator nulla mœnia ædificaret, et Deum quemlibet coli sine- ret. Hæc Frederico in Sicilia adhuc versante statuta sunt. Quinquaginta igitur cum navibus profectus est imperator, plures vero scientificos, geographos astrolo- gosque quam milites secum ducens; alii autem Teutonici, quibuscum Fredericus fœdus icerat, eum in oppido a Sancto Ioanne Acco nominato operiebantur. Tum anno 1227, accepta demum benedictione apostoli- ca, ancoram solvit, at statim pestis causa Brundisii consistere coactus est.<sup>16</sup> Hanc extremam moram Gregorius IX<sup>us</sup> non passus, imperatorem anathema renuntiavit, eumque terra marique interdixit.

Licet pœna gravatus, nihilominus profectus est; at milites, qui eum comitati sunt, minus in dies ei pare- bant, et pontifex eius iter turbare summis viribus cona- batur. Frederico, cum pontifex per decem annos ut bel- lum susciperet institisset, iam quominus Terram Sanctam reciperet obstabat! Verum his difficultatibus solutis, imperator Fredericus II<sup>us</sup> et al-Malik al-Kamil fœdus in oppido Jaffa icerunt; Fredericus semetipsum regem Hierosolymitanum creavit, anno 1229. In Italiam redux, pacem cum ipso pontifice, fœdere Sancti Germani, anno 1230 pacto conciliavit; quæ tamen fuit brevis, nam commercia inter Imperium et Ecclesiam tempore prætereunte peiora facta sunt.

#### DE REGNO ORIENTALI AYYUBIDO

In his autem regionibus, res publica nec firma fuit, nec facile gerebatur: nam antiquum imperium Islamicum in partes inter se sæpe oppositas divisum erat. Principes gentis Abassidæ, anno 750 rerum potiti, ab anno 945 nulla iam vera potentia fruebantur; quam primo Buyides, tum Fatimides, tum anno 1171 Ayyubides sibi demum comparaverunt. Huius gentis princeps Saladinus omnes fere antiqui imperii partes in unum redegit, quod inter Ægyptum et Tigrum, inter Armeniam et partem meridianam patebat, ac præcipue ex Hierosolyma ipsa, quam e manu Francorum anno 1187 eripuerat, constabat. Saladino mortuo successit Malik al-Adil, qui moriturus imperium tribus filiis partitus est: Syriam al-Malik al Mu'azzam,

Mesopotamiam al-Malik al-Ashraf, Ægyptum vero al-Malik al-Kamil nactus est, – qui cum Frederico tracta- vit. Anno 1221 portum Damiettæ fratres una a Francis eripuerant. Hierosolyma, ut supra retulimus, Saladinus potitus erat, sed non comitatu Tripolitano, quem serva- verant Franci. Tres illi fratres usque ad annum 1223 concordissime regnaverunt.

Al-Malik al-Kamil, sultanus Ægypti et Damiettæ, fuit vir litteris doctus, scientiarum studiosus et fautor. Frederici ad instar, ut videbimus, proditionis a suis etiam accusatus est.

Inter al-Malik al-Kamil et al-Malik al-Mu'azzam natæ sunt dissensiones. Hic a Djalal ad-Din, sultano Kwarismorum, auxilium poposcit ut illum oppugna- ret.<sup>17</sup> Populo barbaro et crudeli, – licet Mohametano – perterritus, al-Malik al-Kamil fratrem suum al-Ashraf auxilium rogavit, verum militibus adhuc carens, legato Fahr ad-Din in Siciliam misso, subsidium Frederici postulavit. Al-Malik al-Kamil promisit se Kwarismis et al-Mu'azzam devictis Terram Sanctam daturum esse. Hoc imperatori placuit, qui per se commoda pontificis defendere nolebat; qua de causa proposito al-Malik al-Kamil innuit.

Fredericus igitur, anno 1228, postquam Cyprum turpiter adeptus est,<sup>18</sup> Acco advenit. Cum excommuni- catus esset itemque socii, paucos repperit qui eum comitarentur; Teutonici, quamquam fœdere coniuncti, se excommunicari ægre patiebantur.

Hoc tempore, aliud accedit in Oriente: al-Mu'azzam, al-Malik al-Kamil hostis, mortem obivit; cui successit an-Nadir, princeps debilis et sine pondere neque aucto- ritate. Al-Malik al-Kamil eius morte primum gavisus est, cum iam posset sine ambagibus in eius fines ingre- di. Nulla tum erat causa cur Kwarismos timeret, neque vero cur Terram Sanctam gratis Frederico redderet. Qui Acco iam cum classibus aderat, ut ei auxilium præbe- ret, Hierosolymamque tandem reciperet...

Fredericus miratus est se non maxima pompa acci- pi; cum legatum ad al-Malik al-Kamil misisset, silen- tium invicem accepit. Tum demum al-Malik al-Kamil legatum Fahr ad-Dim præmisit, qui ei rem aperuit. Fredericus hærebat: ut anathemati finem imponeret, reddenda sibi erat Hierosolyma pontifici et Ecclesiæ; verum cum patria abesset, se in cassum tantum iter suscepisse animadvertit, et interea pontificem imperio suo potiri certior factus est. Tentavit, quoquo modo, tamen fœdus cum al-Malik al-Kamil servari, ut fuerat statutum.

Multis colloquiis habitis, tandem decreverunt ut Terra Sancta Frederico redderetur, et pacem decem annorum constituerunt. Ut supra dictum est, imperato-

ri nullo modo licebat ædificare mœnia, et aditus ad magnam urbem Mesquitam al-Aksa tam Christianis quam Mohametanis patebat. Fredericus Hierosolymam, Bethleem, Nazareth et aliquos proximos vicos accepit. Mohametani hac re nequaquam gaudebant, et cœperunt principi al-Kamil instare; quorum ut iram temperaret, dixit «se vix casas obrutas et ruinas ecclesiarum donasse, et se Frederico absente locum statim recuperaturum». <sup>19</sup> Nescitur tamen quid in mente haberet al-Kamil cum talia dixisset: vera verba, aut iras placantia? Al-Kamil cum Frederico amicitia adeone coniungebatur ut pateretur tertiam urbem sanctam Mohametanam amitti? <sup>20</sup>

His rebus peractis, imperator per aliquot menses Hierosolymæ versatus est, ubi dicitur religionem Mohametanam maxime respexisse, rogans inter alia ne desinerent preces alta voce clamari; fertur et Christianos contempsisse, cum sacerdotem quendam qui benedictionem rogaverat maxime reprehendisset. <sup>21</sup> Postea, Acco dein imperium suum repetivit, quod rebellionibus a Gregorio IX<sup>o</sup> susceptis ubique vexabatur.

Vsque ad mortem suam, al-Kamil commercium epistolarium cum Frederico assidue servavit; solebant enim quæstiones mathematicas scientificasque se invicem rogare. Accedit quod in suis epistulis Fredericus auctoritatem Pontificis sine verecundia contemnebat. Vt cumque, amicitia principum omnes politicas religionisque disputationes superabat. Notandum est etiam Fredericum scripsisse opus Latine, c. t. *de Arte Venandi cum Avibus*.

Nunc ad quæstionem Frederici redeamus: quare tam ardentem, dum Acco versabatur, Terram Sanctam recipere voluit, cum antea huius flocci fecisset?

Haud ob religiosam causam. Vt patet, de pontificis auctoritate vix curabat, neque censebat se Bello Sacro suscepto peccatis posse solvi. Mohametani quos novit eum «Islamophilum» habebant, quoad cultum civilem, architecturam, mores et scientias; contra religioni ipsi nullo modo incubuit; quam aliquando derisit, ut ferunt chronicorum scriptores. <sup>22</sup> In sua natione putabatur ad Islamum conversum esse.

Fredericus antequam fœdus cum al-Kamil pangeret, de Bello Sacro gerendo non curabat; Acco quasi circumdatus, fœdere pacto, ei ardentem instetit. Vt supra retuli, Fredericus fuit regnandi cupidus; insuper non dubitaverat quin Yolanda de Brienne, tum quatuordecim vix annos natam, uxorem duceret, ut regnum Ægyptiacum adipisceretur. Ceterum Fredericus instanti principi al-Kamil sine mora respondit.

Auctores chronicarum ferunt Fredericum, inter colloquia cum legato Fahr ad-Din, dixisse: «nisi metue-

rem ne Francorum præstantiam amitterem, tales condiciones principi numquam imposuissem. Nullam enim cupidinem neque in Hierosolymam, neque in ullam reliquam terram habeo, honorem tantum erga Christianos servare volui». <sup>23</sup> His verbis honorem gloriamque servandam curat, id quod patet duci; at difficillimum est æstimare num sincera sint talia, præsertim in huius generis contextu diplomatico... Hic dicit se nullam terram accipere velle, attamen dubium non est quin fuerit regnandi cupidissimus.

Terram Sanctam recuperare fuit Christianis res miraculosa, et maximi momenti. Frederico ita videri posset dum pacifico modo fieret; at cum vires armatae non sufficerent, cum excommunicatus esset, denique quoniam amicitia tam cum al-Kamil et Fahr ad-Din quam cum Arabibus ipsis coniungebatur, et cultum eorum admirabatur, hos manu armata aggredi non poterat.

Inde licet idem de al-Kamil rogare: cur urbem Mahometanis sanctam, vix quindecim annis ante ab avunculo suo recuperatam, principi Christiano sine vera causa – præter promissum – retrocesserit?

Verum est eos fœdus panxisse, pretiosa dona invicem sibi misisse, sed ut iterum dicam, de sinceritate eorum dubitare licet, in tali re. Al-Mu'azzam mortuo, Kwarismis iam nullo modo minitantibus, al-Kamil sine periculo eo magis recusare potuisset, quo Fredericus Acco stans, non solum innoxius erat, verum et omnino debilis. Videtur tamen princeps Mohametanus hanc rem in animo habuisse, cum Fredericum Acco nuper advectum nuntiosque mittentem primum ignorasset. Accedit quod sciebat se, si urbem sanctam redderet, iram populi maxime accipere. Quare ergo tale egit?

Puto hic etiam eum, et plus adhuc quam Fredericum, amicitia et respectu erga promissum datum egisse. Tamen hæc amicitia potuit esse commoda mota: al-Kamil tunc intellexit se posse facile auxilium Occidentalium accipere, instante periculo.

Utrumque, illa amicitia fuit vera: nam epistolæ postea missæ nihil politicum præbent, verum studium commune erga scientias, litteras et artes. Vt diximus, solebant sibi invicem varia ænigmata percontari.

Ut tandem finem faciam, censeo – mea sententia est, licet reprehendatur – hos duos principes, cum in re eiusdem generis versarentur, communibus commodis, concordiam pacemque servare voluisse. Salvo imperio, salva auctoritate et gloria apud populum, pacem pangere volebant – quæ pro dolor brevis fuit – inter Mohametanos et Christianos, qui tum orbem terrarum, si ita loqui licet, dominabantur. ☪

1. R. Grousset, *L'épopée des croisades*, Lutetiae, Perrin, 1968, p. 235.
2. Paulus Rousset eum vocat «principem immoralem, regni cupidum, qui fidem Christianam extendere nullo modo volebat, sed suum imperium». P. Rousset, *Histoire des croisades*, Lutetiae, Payot, 1957, p. 236.
3. L. Bréhier, *L'Église et l'Orient au Moyen-Âge: les croisades*, Lutetiae, Gabalda, 1928, p. 201.
4. Inspiciatis: *Chroniques arabes des croisades*, textus collecti et editi a Francisco Gabrieli; (e lingua Italica translati a Viviana Pâques), Lutetiae, Sindbad, 1977, et etiam Jirjis ibn abi l-Yasir ibn abi l-Makarim al-Makin ibn al-Amid, *Chronique des Ayyoubides (602-658/1205-6-1259-60)*; versio Gallica adnotata ab Anna-Maria Eddé et Francisca Micheau, Lutetiae, de Boccard, 1994. Al-Makrizi, *Histoire de l'Égypte*, interpretatio Gallica, additis adnotationibus historicis et geographicis ab E. Blochet, Lutetiae, Ernest Leroux, 1908.
5. P. Rousset, *Histoire des croisades*, Lutetiae, Payot, 1957, R. Grousset, *L'épopée des croisades*, Lutetiae, Perrin, 1968, p. 235.
6. E. Kantorowicz, *L'empereur Frédéric II* (liber e lingua Germanica translatus ab Alberto Kohn), Bibliothèque des histoires, Lutetiae, Gallimard, 1987, et J. Benoist-Méchin, *Frédéric de Hohenstaufen ou Le rêve excommunié (1194-1250)*, Tempus n°229, Lutetiae, Perrin, 2008.
7. Quod Ibn Jubayr, peregrinus Mohametanus Hispanus, in Sicilia anno 1183 versatus narrat, qui magnificam urbem Panormum sæculo secundo et decimo laudibus extollit. Ibn Jobaïr, *Voyages*, traduits et annotés par M. Gaudefoy-Demombynes, Lutetiae, Librairie orientaliste Paul Geuthner, 1951, pp. 379-391.
8. G. Peyronnet, «Coexistence Islamo-Chrétienne en Sicile et au Moyen-Âge», in *Islamochristiana*, 19 (1993), pp. 55-73.
9. Principibus Abassidis, sæculo decimo, initum est ingens inceptum quo plures textus e lingua Græca, Persica, Sanscritica necnon Serica ad linguam Arabicam vertebantur, in omnibus fere orbis scientiarum provinciis. His interpretationibus novimus nunc multos textus qui alioquin non extarent.
- Textus sæpe in *Domo Sapientiae* (Arabice: *Bayt al-Hikma*), ab al-Ma'mun Bagdadi, anno 830 condita, convertebantur.
10. «De Immenso Cælo (III)», in *Melissa* 171.
11. J. Benoist-Méchin, *Frédéric de Hohenstaufen...*, pp. 60-61.
12. *Ibidem*, pp. 188-186.
13. *Ibidem*, pp. 135-140.
14. Honorius ei moram concessit anno 1216, dein anno 1219, 1221, 1223, 1225, denique anno 1227. L. Bréhier, *L'Église et l'Orient...*, pp. 197-198.
15. L. Bréhier, *L'Église et l'Orient...*, pp. 197-200.
16. J. Benoist-Méchin, *Frédéric de Hohenstaufen...*, p. 235.
17. Al-Makrizi, *Histoire de l'Égypte...*, p. 297.
18. Cypri, Iohannes d'Ibelin res tenebat. Fredericus huc pervenit mense Iulio anni 1228 et Ioannemque d'Ibelin ad convivium invitavit. Copiæ Frederici inter cenam ingressæ sunt et Fredericus Iohanni imperavit ut sibi imperium Beyruti traderet, tributumque Insulæ solveret, vi unico argumento. Ioannes invitus se submisit. E. Kantorowicz, *L'empereur Frédéric II...*, p. 170.
19. Hæc verba tam apud Maqrizi et alios chronicarum scriptores quam in textibus occidentalibus, et præsertim apud Ludovicum Bréhier. Al-Makrizi, *Histoire de l'Égypte...* Francesco Gabrieli, *Chroniques arabes des croisades...* Jirjis ibn abi l-Yasir ibn abi l-Makarim al-Makin ibn al-Amid, *Chronique des Ayyoubides...* L. Bréhier, *L'Église et l'Orient...*
20. Hierosolyma tertia urbs sancta Islami habebatur, post Meccam et Medinam; nam in Corano (XVII, 1) dicitur propheta Mohametus e Domo Saxi ad cælum «Al-Kuds», in *Encyclopédie de l'Islam*, Leiden, Brill, 1985, t. 5, pp. 323, col. 1.
21. J. Benoist-Méchin, *Frédéric de Hohenstaufen...*, p. 301.
22. Francesco Gabrieli, *Chroniques arabes des croisades...*, p. 293.
23. J. Benoist-Méchin, *Frédéric de Hohenstaufen...*, pp. 300-301.

## BELLVM ABSQVE FERRO

adagium 1523

## DE PVERORVM CRVCIATA

- narrat Francisca Deraedt -

Cum in superioribus paginis actum sit de sexta expeditione cruciata, occasio præbetur miram rem iisdem fere temporibus gestam afferendi. Anno enim 1212, ut fama fert, pueri propriam instituerunt cruciatam. Quamquam historici non pauci dubitant sive de rei veritate, sive de crucigerorum ætate - «puer» enim Medio Ævo etiam servum designare solet -, iuvat historiam narrare, qualem inter alios Albericus Trium Fontium, monachus Leodiensis, in Chronicis suis descripsit.

Anno ergo 1212, mense Iunio, quidam iuvenis pastor Galliam peragrarare incepit, pueros vocans ad bellum sacrum. Clamabat se a Deo mitti ut Terram Sanctam liberaret; victoriam esse promissam; satis enim fore ut ipse, tamquam novus Moses, cum exercitu puerili Massiliam procederet ad litus maris: aquas divisum iri transitum aperientes ad orientem, ac tanto spectaculo Saracenos esse sponte sua fugituros. Tantus erat illis temporibus religionis impetus, tam commoti erant animi, ut mox ingens puerorum puellarumque turba parentes relinqueret miserumque fanaticum sequeretur, eleemosynis in itinere sustentata. Etiam papam Innocentium II eorum consilium laudavisse.

Hæc caterva monachis errabundis, operariis nec non latronibus mox ita est aucta, ut amplius triginta hominum milia, si chronicis credimus, numerarentur. At

cum Massiliam pervenerunt, contra firmam expectationem nullum factum est de aquis miraculum. Cum invenienda esset transeundi ratio magis humana, duo honesti navicularii Massilienses, Hugo Ferreus et Guillelmus Porcus perbelle nominati, se rem suscepturos obtulerunt, nulla petita pecunia.

Instructæ sunt septem naves. Duæ naufragium fecerunt ad Sardinia insulam Sancti Petri, ubi papa Gregorius IX postea ecclesiam Novorum Innocentium curavit ædificandam. Ceteræ appulsæ sunt Bugiam (i.e. *Bejaia* in Algeria) et Alexandria, ubi honesti navicularii totum onus, aut saltem partem superstitem, venderunt servorum mercatoribus. Pauci eorum libertatem septemdecim annis post receperunt fœdere inter Fredericum II sultanumque al-Kamil pacto.

«Duo quoque supra dicti traditores Hugo Ferreus et Guillelmus Porcus postea venerunt ad principem Saracenorum Siciliae Mirabellum, et cum eo traditionem imperatoris Friderici facere voluerunt, sed imperator de iis dante Deo triumphavit, et Mirabellum cum duobus filiis et istos duos traditores in uno patibulo suspendit, et post annos octodecim addidit qui hoc retulit, quod Maschemuch de Alexandria adhuc bene custodiebat septingentos, non iam infantes sed fortioris ætatis homines.» (Albericus Trium Fontium, *Chronicon*, p. 460).



## DE DEO ET FVTVRO GENTIS HVMANÆ

QVID CENSEAT PHILOSOPHVS (II)

– colloquuntur Tommius Lehtonen et Samius Jansson –  
 (et aliquando interloquuntur personæ ex ludis Terentianis Ciceronisque scriptis)

TOM. Mundus academicus est mutatus propter capitalismum Occidentalem et eius propositum lucrum petendi. Nam admodum recenter capitalismus se coniunxit scientiæ naturali, quæ celere procedit. Et sicut in civitate hodierna materialium rerum fabricatio est maximi momenti, similia principia mutaverunt instituta academica in officinis, quæ fabricant examina academica. Exemplum præbet bonum hæc ipsa universitas Vasaensis studiorum, cuius in campis et auditoriis maxime coluntur quæstiones ad œconomiam attinentes, sicut etiam ad mercaturam productionemque industrialem, et partim ad technologiam, etiamsi facultas academica artium technologicarum admodum parva est in universitate Vasaensi. Sed hæ ipsæ, scientiæ nimirum naturales, technologia et œconomia, artes videntur hodie esse fortissimæ præter forsitan iurisprudentiam et medicinam quæ tamen ars practica et specimen est duntaxat scientiarum naturalium. Hæ igitur artes plurimum attrahunt studentes, partim propter hoc, quod illæ facile eisdem videlicet præbent facultates et occasiones œconomicas technicasque, ac ubi opificium sua post studia petunt sibi studentes, istæ artes firmiorem eis gradum præbent pluresque occasiones honorum in cursum ingrediendi, quam artes ad studia humaniora pertinentes, quæ antea, dum instituta est universitas studiorum, erant primæ et ponderis maximi. Dicendum autem est iurisprudentiam esse veterem artem iam medio ab ævo originem sibi trahentem, sed nihilominus dicere certe licet nescioquam hegemoniam naturali-scientifico-technologico-œconomicam, quæ in societate hodierna validissima esse videtur, etiam mundum academicum manifesto affecisse. Plurimi, qui curriculum in gymnasio peregerunt, prudenter se agere censent, suum nomen in tabulis studiorum universitatis referentes dum optant academicum curriculum œconomicum vel technologicum sibi ea ratione, qua laureati denique sibi opificium invenient posteaquam hoc aut illud curriculum peregerint. Et negandum non est, longe melius videntur artibus technologicis et mercatoriis eruditi sibi opificium invenire quam ii qui tempus et iuventutem triverunt inter studia anthropologiæ culturalis vel philosophiæ. Ita etiam disciplinæ quæ attinent ad œconomiam, technologiam vel scientiam naturalem, videntur in mundo academico recipere maximam partem pecuniæ investigandi. Hæ igitur artes habentur ponderis tanto gravioris rei publicæ œconomix generalis aspectu quam artes humaniores, ac eadem ideo etiam prosperitate fruuntur, sic nimirum fortiter attrahunt studentes, qui iudicant qualem disciplinam sibi optent, ut feliciter deinde possint reperire opificium sibi.

SAM. Deinde velim te rogare, ipse qui constitueris te erudire in arte theologiæ systematicæ, qualis fuerit tua iuvenis ethica, Christiana forsitan, ac an hæc mutata vel affecta sit propter studia tua philosophica.

TOM. Ad universitatem studiorum accedens plane nesciebam, quales disciplinæ primariæ possent in facultate theologica optari. Ita theologiam systematicam mihi optavi primariam post nonnullos annos, nam fortius cupivi studere psychologiæ et quæstionibus psychologicis ad religionem attinentibus. Deinde etiam animum mihi excitabant valde linguæ classicæ, ac quondam inter studia mea mihi ipse proposui, ut inciperem operam dare ad studia exegetica Veteris Testamenti, et præcipue amabam studia sermonis Hebraici, nam illa habebam valde lepida, sed tandem contigit, ut inter alumnos theologiæ systematicæ eligerer. At illa causa finalis, qua primum mihi optavi curriculum theologiæ, in initio haud mihi clara et distincta patebat. Dicamus me tunc, ubi primum cogitavi me velle intrare studia theologica, hoc mihi ipsi proposuisse haud propter amorem theologiæ sed ea de causa quod cupiebam esse sacerdos. Iam iuvenis, ætate confirmationis, cogitavi sacerdotis professionem esse mihi bene aptam vel talem quidem quæ mea maxime interesset. Per totum tempus quod in lycæo terui cogitabam me sacerdotem factum iri. Et tales cogitationes mihi mentem impleverunt scilicet propter hoc, quod iuvenis tunc eram ecclesiæ fidem in Deum habens. Et membrum eram societatis admodum conservativæ quæ tamen haud penitus fundamentalistica erat, nam nunquam me ipsum, ne iuvenis quidem, fundamentalistam habui, sed nihilominus membrum eram illius Christianæ conservativæ societatis vel potius ordinis. Eius gravissimi ponderis argumentum est hoc, quod suam quisque debeat ipse fidem privatim constituere in Deum. Talis igitur erat mea ætas prior spiritualis vel Christiana, quæ sine dubio partim effecit, ut theologiæ curriculum mihi optaverim, sed iam anteaquam fidelis sum factus Dei vel ante quam sum spiritualibus in rebus revelatus iamiam cogitabam me aptum esse sacerdotis muneri.

SAM. Demutaveruntne studia theologica tuam ethicam spiritualem?

TOM. Ita vero et sine mora quidem iam in studiorum initio, heh [subridet], nam primum, istud propositum meum sacerdotem fieri e mente mea admodum celere evanuit etiamsi postea tamen rediit, sed inter studia mea habebam varias animi vacillationes, interim enim censebam me esse atheum, interim autem me ipsum si non plane agnosticum habebam, tamen censebam me fune laxiori alligatum sequi Christianitatem. Et dein

recensui illud desiderium antea a mente mea reiectum, nempe ut fierem sacerdos. Re ipsa, die ipso quo factus sum candidatus theologiæ – tunc enim in Finnia examen finale in universitate studiorum erat illud candidati, et si quis cupivit magister fieri, is debuit istunc titulum academicum sibi emere pecuniam solvendo sua post studia – ita, cum igitur factus sum candidatus, tum reditum mihi iam erat illud propositum, an possem saltem inquirere, num fieri posset, ut ordinis sacramento consecraretur et deinde munus sacerdotis in ecclesia quadam acciperem. Partim tamen de causis macroeconomicis dumtaxat, quibus ipse absolutus sum, tunc non sum consecratus sacerdos, nam candidati examen perfeci anno 1992, quo œconomia Finniæ profundissime depressa erat, qua quidem de re ecclesiæ muneribus sacerdotis carebant propter angustias œconomicas. Itaque, quod nulla munera exstiterunt, constitui me iter pergere academicum. Talia quidem cogitavi iam antea, sed illa depressio œconomica effecit, ut censuerim me velle doctoratum petere, quod tale propositum numquam inutile esset.

SAM. Stipendium recepisti academicum ad illud propositum?

TOM. Ita, stipendium admodum paulo post recepi, et deinceps studia sequi doctoralia incepti, vel primum perfeci examen licentiatum anno 1995 quo facto participavi propositum investigandi Academiae Finnicæ a Simone Knuutila<sup>1</sup> moderatum, et thesimum doctoralem præparare incepti. Postquam thesimum perfeci opificium in universitate tenebam annum haud integrum, sed censeo me tunc iam admodum multum nosse de vita operaque academica ac mihi studiorum universitas valde pauca videbatur præbere munera nisi mandata nescioquæ breviora. Ita petivi alterius generis munera extra universitatem studiorum, tunc ergo intravi quandam Christianam societatem cui nomen est «Kirkkopalvelut»,<sup>2</sup> quæ moderatur inter alia Finnicæ Ecclesiæ [Lutheranæ] cursus in quibus operarii ecclesiæ docentur. Eadem societas etiam moderatur propositum annum Finniæ maximum vectigalia voluntaria colligendi quod «Yhteisvastuukeräys»<sup>3</sup> vocatur de quo certe audiisti. Ergo adactoratus sum ab illa societate et ibi mox me rogaverunt, an vellem sacramento sacerdotis consecrari. Mihi illius societatis operario dixerunt certe licere sacramento consecrari sacerdotis. Itaque anno MM vere participavi cursum ordinationis qui consecrationem anticipat, et anni MM exeunte mense Maio sacerdos consecratus sum. Postea valde parum curavi officia sacerdotis nisi aliquando baptizando liberos proximorum meorum, nonnullos proximis consecrando matrimonii sacramento, etiam cuiusdam amici

mei matrem mortuam in funere sanctificando ad sepulcrum.

SAM. Quid ad illud spatium temporis quo in India versatus es? Etiamne ibi mutatae sunt cogitationes tuæ?

TOM. Ita vero partim, sed plus quam ea quæ expertus sum in India, eas mutavit scientia de religionibus, nam iam antea semper libenter cognovi etiam de aliis religionibus quam de Christiana sola. Hinduismus scilicet in India et partim buddhismus admodum forte mihi se præbuerunt in urbis viis, sed – hic quidem narrare decet in India cuiusdam templi deæ Kali dedicati me officium sanctificandi curasse, hahæ! Nam ibi cupiverunt – honoris gratia ut credo – videntes enim istunc venisse hospites Occidentales, me rogare, et illi rei nonnisi vir potuit adactorari, rogaverunt igitur, an ego vir Occidentalis vellem sanctificare templum quoddam parvum deæ Kali dedicatum. Numquam enim ægre fero si aliquis [Christianus] lepide approbat religiones alienas neque quidem si quis cærimonias alienas peragit. Nihil mihi videtur impedire, quin homines plurimum cultuum cærimonias sincere peragant. Ipse de cultibus sentio pacto admodum ambiguo, aliquando enim solebam partim iocose velut linguam in buccæ parietem inserens dicere meam ethicam religiosam cottidie mutari: Lunæ die et hebdomanam incipientem sum plane atheus sed media hebdomada mutatus sum agnosticus ac deinde exeunte hebdomada fieri potest, ut magis industrius colam cultum [Christianum]. Sic dicere malo, generaliter enim censeo ethicam religiosam esse parvi momenti in cultibus peragendis, quod mihi videtur cultuum actio potius esse usus quam animi exercitatio.

SAM. Omnia clara. De hac re etiam cupio te interrogare, cui rei hodie habeas fidem, nam, pace tua, ambiguo mihi videris respondisse hactenus. Quomodo aliquis potest simul esse atheus, agnosticus et Deo fidelis? Directe igitur te nunc interrogo, sisne aliquis ex istis tribus, credisne Deum esse, annon?

TOM. Nescioquo pacto velim respondere me esse omnes ex istis tribus, simul autem altera pars ipsius mei libentius dicat me ex iis nullum esse. Ita respondeo me censere istanc rationem de religione rogandi nos ad vestigia falsa ducere, si enim nobis veritatem hac in re petimus, sic nos ipsos committimus doctrinæ cuidam metaphysicæ – atheismus enim est doctrina metaphysica sicut etiam est theismus, atqui ambæ doctrinæ mihi satis videntur repulsantes. Mea ratio ambas rei sciendi fere similis est ac illa, quam sustinebant philosophi circuli Vindobonensis, nam censeo ambas doctrinas illas loqui vocabulis dubiis – illud saltem nihil



attinet ad scientiam, immo talem minimi pendo, ut honeste dumtaxat loquar, altercationem opinionum, utrum quis velit esse atheus an Deo fidelis. Aliquando lepide me habeo atheum, aliquando autem libentius credo in Deum, illud autem plane nullius momenti esse existimo, utram sibi opinionem quicumque approbet. Equidem istas optiones hac aut illa ratione cogitandi parvi pendo. Mihi religio potius est automatarius mos, et concedo hanc explicandi rationem facillime in dubium revocari posse, aliquis enim possit admonere me, nonne multo sit prudentius se dedocere de istiusmodi automataria ratione agendi. Atqui fides in Deum similis est ac timor volandi, nam si aliquis, qui hoc timore laborat, veris rationibus evidenter certior sit factus iter volando facere tutius esse quam autocineto vehi, nihilominus idem non sine timore potest aeroplanum intrare. Ita etiam Dei precatio similis fere esse videtur ac timor volandi, nam si quis dicat istunc modum agendi repugnare contra sanum sensum ac fidem in Deum carere rationibus intelligibilibus vel illius fundamenta esse debilia, mihi nihilominus ali-

quando precatio per se ipsam fit, hoc autem nihil ad scientiam attinet, numquam enim mihi simulo me posse lumen intellectus applicando clare explicare, quam ob rem sic agam. Ita precatio mihi est modo actio automataria. Equidem generaliter censeo religiones esse non ingenitas, sed res simpliciter per culturam traditas humanam moresque familiares. Dum igitur adolescentes certam culturam certosque mores docemur, postea non valemus nos ipsos de vinculis istorum morum expedire. Puta scientiam se birota vehere, nam si quando hanc artem didiceris, numquam de ista poteris scientia dealienari. ☞

(continuabitur)

---

1. Professor Simo Knuuttila in Finnia existimatur præclarus professor academicus, qui inter alia proposita Aristotelis opera quædam Finnice convertit et postea moderabatur propositum academicum ea quæ restabant Finnice vertendi. Hodie Aristotelis opera omnia Finnice legi possunt.

2. Lat. 'Servitia Ecclesiastica'.

3. Lat. 'Colligenda Communi Responsalitati'.

Die 6 m. Feb. a. 2013 præmatura morte nobis abreptus est David Morgan, vir omnium consensu non solum maxime doctus, sed etiam modestus, simplex, affabilis semper. Totus orbis Latinus eum deflet, vero amico orbatus – teste infra Bradlio Walton. In proximo Melissæ fasciculo Terentius Tunberg et Milena Minkova eius vitam et opera in memoriam revocabunt.

IN OBITUM DAVIDIS MORGAN (1959-2013)

Sunt quos mens luget, sunt quos præcordia mærent,  
 morte sua gemitum rarus utrique movet.  
 pectoris eversa est regio, vastatus et orbis  
 ingenii fatis, David adempte, tuis.  
 nec docti doctum, philomusi nec philomusum,  
 nec vili perdunt tantum homines hominem.  
 quis geminum nobis damnum reparaverit unus?  
 quæ mentem, quæ cor sarciet una manus?  
 quis paris ingenii, paris et quis pectoris alter  
 esuriam nostræ solvet utramque animæ?

Brad Walton

## DE NOVIS LIBRIS

Victorius CIARROCCHI, *Varia Latinitatis vivæ testimonia*, Loreto, ELI, 2012, 230 p. ISBN 978-88-87651-48-5

Inter Latinitatis vivæ fautores et propugnatores, nemini non notus est Victorius Ciarrocchi, quippe qui ubique terrarum voce sua sonora prædicaverit, prædicet et utinam posthac etiam diu profiteatur linguæ Latinæ præstantiam.

Nobis hic miscellanea offert e variis fontibus collecta necnon laute edita, quorum collatio optimum exemplum præbet vitæ sermonis nostri communis. Magnam horum scriptorum partem occupat 'Grex' ille interretialis 'Latine loquentium'. Si quis hanc sodalitatem non noverit, primam huius operis partem legat, qua eius natura et finis explicatur. Afferuntur deinde complures sententiæ, quas auctor decursu temporum deprompsit de hoc epistularum commercio: sic nunc non iam in nube interretiali tantum volant, sed scripto

etiam manent. Festivæ sunt et ita maxime variæ, ut lector permulta discat non solum de verbis novandis sensuve vitæ, sed etiam de sexualitate vespertilionum deque tot et tantis (et nonnumquam etiam minimis, hæc enim est humana vita) mentem hominum tangentibus.

Postea proponuntur scripta ab ipso auctore exarata variisque locis divulgata ut in actis diurnis Bononiensibus q.t. *Il Resto del Carlino*, in *Voce Latina*, in *Melissa vestra*, in variis etiam conventibus.

Quibus perlectis iterum animo libenter volvimus Andreae Vesalii sententiam, quam etiam Victorius Ciarrocchi fecit suam: « Vivitur ingenio, cetera mortis erunt ».

# ALF

ACADEMIA  
LATINITATI  
FOVENDÆ

invitat ad

CONVENTVM LATINVM XIII  
VINDOBONENSEM  
DE LAVDIBVS

DIEBVS 18. - 21. MENSIS SEPTEMBRIS 2013 FVTVRVM

QVI INSTITVETUR AB:

INSTITVTO PHILOGOGIAE CLASSICAE  
POSTERIORISQVE LATINITATIS VNIVERSITATIS VINDOBONENSIS

ACADEMIA SCIENTIARVM AVSTRIACA

L.V.P.A. - LATINITATI VIVAE PROVEHENDAE ASSOCIATIONE e. V.  
VEREIN ZUR FÖRDERUNG DES LEBENDIGEN LATEINS e. V.

Plura de programme in Academiae sede interretiali:  
[www.academialatinitatifovendae.org](http://www.academialatinitatifovendae.org) > Nuntii

Si quis plura interrogare vult: [ALFCongress-Vienna@univie.ac.at](mailto:ALFCongress-Vienna@univie.ac.at)



# *In hoc fasciculo !*

- Num liceat prave scribere* [G. Licoppe] p. 1  
*Epistolæ obscurorum virorum* (I) [F. Deraedt] p. 2  
*De immenso cælo* (V) [G. Licoppe] p. 5  
*De Bello Sacro Frederici II de Hobenstaufen* [M. Dapsens] p. 8  
*De puerorum cruciata* [F. Deraedt] p. 12  
*De Deo et futuro gentis humanæ quid censeat philosophus* (II) [S. Jansson] p. 13  
*Bibliotheca Latina & Conventus Academiae Latinitati Fovendæ* p. 16

*Imago tegumenti: Arrianus dicit elephantum inter omnia animalia  
esse maxime ingeniosum (<http://www.bervejubert.fr>)*

---

*Latine loqui* : Academiae Latinitati Fovendæ XIII conventus  
Vindobonæ, 18-21 m. Septembris a. 2013  
ALFCongress-Vienna@univie.ac.at

Conventiculum Bostoniense  
27 m. Iulii – 4 m. Augusti a. 2013  
[www.conventiculum.org](http://www.conventiculum.org)

Conventiculum Dickinsoniense  
In Pensilvania, 5-11 m. Iulii a. 2013  
<http://www.dickinson.edu/academics/programs/>

Conventiculum Latinum  
Lexingtoniæ, 17-24 m. Iulii a. 2013  
<http://mcl.as.uky.edu>

Conventiculum Viomingense  
5-13 m. Augusti a. 2013.  
<http://www.wyomingcatholiccollege.com/conventiculum>

Feriæ Latinæ Frigoletenses  
10-17 m. Iulii a. 2013  
[www.frigolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae](http://www.frigolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae)

Linguæ Latinæ institutio æstiva  
Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net>

Septimana Californiana instituti SALVI  
Angelopoli, 1-8 m. Iulii a. 2013  
[www.latin.org/programs/septimana/Latine](http://www.latin.org/programs/septimana/Latine)

Septimanæ Latinæ Europææ  
Amœneburgi, 28 m. Iulii – 4 m. Aug. a. 2013  
Frisingæ, 1-7 m. Septembris a. 2013  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ  
In abbatiâ Ottiliensi, in Bavaria, 15-20 m. Iul. a. 2013  
In oppido Theulegio, in Saravia, 11-17 m. Aug. a. 2013  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39  
BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

